

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Gottlob Friedrich Seligmann Joachim Otto

Theses Anticartesianae Miscellaneae

Rostochi[i]: Richelius, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73244568X>

Druck Freier  Zugang



Ruphie 1684





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73244568X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73244568X/phys_0002)

DFG

THESES
ANTICARTE-
SIANÆ MISCEL-
LANEÆ,

Quas
annuente Divina Gratia

in illustri ad Varnum Academia

Ampliss. Facult. Philosoph. in dultus
publicæ luci expositas

Sub Presidio

Admodum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi

DN. GOTTLÖB FRIDE-
RICI Seligmann/

hic Phys. & Metaph. Profess famigeratissimi,
Templi Cathedralis Archi-Diaconi Vigilantissimi; Lipsiæ
v. adhuc Collegati Ducalis gravissimi,

Dn. Patroni, Præceptoris, studiorumq; suo-
rum Promotoris, omnigeno honoris & observantie cultu-
æ viternum suspiciendi,

In MAJORI AUDITORIO ad d. 28. Maii A. M. DC. LXXXIV.
placido Eruditorum examini

subjecet

JOACHIMUS Otto/ Bern. March.

Autor & Respondens.

Rostocki, Typus JACOBI RICHELII, Senat. Typogr.

1684

DUUM VIRIS
Plurimum Reverendo, Amplissimo atque Clarissimo
DN.
**M. LUDOVICO
BARCLAI,**

Archи-Diacono Templi, qvod hīc Rōsto-
chii splendet, Mariani vigilantissimo, inter Amplissimos
Reverendi Ministerii Collegas Seniori gravissimo

ut &

Amplissimo atque Spectatissimo

DN. DANIELI
Gelthen/

Nobilissimis Reipublicæ Rostochiensis Ca-
merariis à SECRETIS; hāc in sparta meritissimo.

Dnn. Mecoenatibus, Hospitibus æviter-
num luspiciendis

*in animi grati monumentum has exiguae
theses sine ulla officij sui suspensione*

sacratas cupit

AUTOR.

I. N. J.

S. I.

Vod de incolis insularum Canariarum & Philip-
pinarum tradunt, illos ante adventum Hispano-
rum notitia & usu ignis destitutos fuisse (a), idem
ferè ante Cartesium fatum homines in Scientiis
expertos esse, ejus propugnatores gloriantur. Pe-
trus Poiret (b) credidit Cartesii ingenio, si natu-
raliter id consideremus, nullum à Seculo condito
excellentius vel par extitisse; imò ipse Cartesius
qvid aliud sua omnium eversione insinuare ge-

Ruit (c)? Qvanquam verò ego ingenii aciem subtilissimam & laudem Car-
tesio non invideam, eum tamen in multis etiam lapsum ingenii admisisse, veri-
tatis amor me fateri jubet. Scilicet accedit & ipsi Cartesio, qvod Verulamius
verè sensit (d); Qvi, inquiens, ausu majore omnia integra sibi duxerunt, &
ingenii impetu usi priori prosternendo & destruendo aditum sibi & placitis suis
fecerunt, eorum tumultu non magnoperè profectum est. Qvā ergò fronte
Riderus (e) pronunciare potuerit ejus causam DEI causam esse, ego eqvī-
dem fateor, pervidere non possum. Certè alia nobis omnia se offerent, si
à nobis selecta Cartesii dogmata vel paucis perlustrantes ejus ad errores proclivitatem paulò clarius aperuerimus. Tu verò DEus Triune benignè ceptis
aspira.

(a) Vid. Dr. Samuel. Puffendorfi Dissert. Academ. p. 468. adeò ut, cum
semel bi incole igne excidissent, per complura fortè secula neg. medita-
tione neg. fortuito experimento eundem instaurare potuerint. (b) in ap-
pend. Cogit. Rational. p. 300. (c) vid. Medit. prim. p. 5. & tamen sua te-
nuitatis se memorem venditat Part. IV. P.P. phil. §. CCVII. p. 222. (d) Pra-
fat. N. organ. fol. 274. (e) Praefat. Tom. i. im Schrifttuurlycht.

A 2

S. II.



§. II.

Cartesius noster, immemor Contractæ per lapsum Protoplastarum corruptionis, omnem errorem ab intellectu removet, causam ejus transferens in voluntatem, ita ut in nobis libertatem, ceu ipsissima ejus verba volunt (ζ), experiamur ab iis abstinendi, qvæ non planè certa sint, & explorata, atqve ita cāvendi, ne unqvām erremus. Qvod qvidem, utut videatur etiam adscriptissē aliquando intellectui, cum duas dicat (η) se advertere causas simul concurrentes, unde dependeant errores, facultatem nempe cognoscendi, qvæ in ipso sit & facultatem eligendi h. e. intellectum & simul voluntatem; statim tamen sese revocat, subnectens nullum errorem propriè dictum in intellectu præcisè sic spectato reperiri, cum ipse per solum intellectum percipiat tantum ideas. Qvam sententiam Autoris sui omnes ferè Cartesiani preslè seqyuntur (θ). Sed liceat hīc confessim de Cartesio sincerius edifferere, qvæ censem; non erravero, si ita mentem meam exposuero; Nimis se largum, nimis benignum præbēt in re, penuriam suam multis documentis comprobante. Ut enim nihil dicam de bonis Spiritualibus, in qvibus cognoscendis intellectus sibi relietus planè coecus & vanus est (ι), ut ea etiam pro stultitia reputet (κ), qvid fiet de multis naturalibus (λ), in qvibus qvām benè nobis ab errore cavere possimus, ostendit quotidiana experientia. Ecquis qvæfo se ab omni errore immunem præstare novit vel in iis decidendis, qvæ fluxum & refluxum maris (μ), qvæ Magnetis pulsū (ν), qvæ etiam virtutem plasticam (σ) spectant? Nec juvat Cartesium, qvod præsupponit de clara & distincta perceptione tanqvam veritatis norma atqve regula (π); in promptu qvippe nova difficultas est; qvis omnibus semper clarè & distinctè percipiendis sufficientem nactus esse indolem, dici possit? Nobis ne qvidem à lingvæ lapsu temperare omnimodis possimus (ρ), qvid de lapsu mentis sentiendum? Nimis est corrupta natura nostra, ut saepe vix putamina rerum frangamus, ceu vacillantes, qvæ intellectui subnascuntur, idæ testari valent; ex qvibus de nucleo ulterius judicari valet. Quid? qvod ipsa rei confusa ex vitio naturæ nostræ adhærente apprehensio, quam claram & distinctam esse oportebat, qvendam intellectus arguit errorem, ut me Summè Reverendus atq; Excellentiss. Dn. D. Schomerus, Praeceptor æternum mihi colendus satis acutè pro more suo contra Cartesium in Collegiis privatis (σ) docuit. Hinc Allinga (τ) emollire qvidem nititur verba Wittichii ad Cartesium provocantis, dum nos non posse qvidem esse dicit absqve errore, respectu hæreditariæ corruptionis, benè tamen respectu essentialis in voluntate libertatis non sublatæ; Sed sunt hæc obscura satis. Unde tantum ab-

abest, ut Cartesius exin suspicione admissi Pelagianismi exemptus evadat, ut potius eam magis atque magis incurrat, licet idem Allinga (v) distingvere hic jubeat inter Corruptionem originariam & errores inde pullulantes; utrumque enim Cartesius imminuit, quod tamen ex ipso prolixè probandum angustia instituti nostri hanc vice declinat.

- (ζ) *Vid. part. I. PP. §. 6. (η) Medit. IV. p. 27. Conf. PP. Ph. part. I. p. 10. §. 38. ubi Cartesius dicit, quod in errores incidamus, defectum quicquid esse in nostra actione, seu in usu libertatis, non autem in nostra natura.*
(θ) *Evolvit præ aliis Cl. Schweling. Excerpt. Apologet. p. 6. ubi adstruit componendo, quod alteri suum non est, tribuendo, vel dividendo, quid alteri, quod suum est, adimendo duntaxat errari, non vero intellectu, qui rem simpliciter solum apprehendat sive per speciem sive per ideam.*
(ι) *Eph. IV. 17. seq. (κ) i Cor. II. 14. (λ) ipse Allinga fateatur Erotemat. p. 362. in hac vita nos non esse sine erroribus etiam in Philosophicis.*
(μ) *Hujus causam Cartesius Part. IV. PP. Ph. p. 158. querit in motu terræ semper nonnihil à luna recedente. B. vero Scherzerus hic ignorantiam suam professus est Philos. in Ceraso p. m. 378. (ν) Juxta enim Cartesianos imò & recentiores Philosophos alios nulla in Magnete occurrit attractio, sed motionem illam impulsus perficit, prout etiam omnis motus iis ponitur in pulsu ita ut minus commodè juxta eos dicatur; das Pferdt zeugt den Wagen. (ο) Vid. Hartnac. admirand. in Sperling. Synops. Phys. p. 485. (π) Hec generalis Cartesii regula est, vid. Medit. III. p. 15. quanquam nondum satis ex eo constet. quid sit clarè & distinctè percipere (ρ) Jacob. III. 8. (σ) vid. Colleg. de Noviss. hujus Seculi Controvers. Cap. X. aph. 2. & Anti-Calvin. c. X. qv. III. (τ) Erotemat. p. 360. (υ) c. l. p. 362.*

S. III.

Ne tamen Cogitationes Cartesii errent, ipse aliam methodum in Logica tradenda quæsivit. Atque in ea pro immensa ista multitudine præceptorum, quibus Logica alias referta est, quatuor sibi tantum sufficit (Φ). Primum voluit, ut nihil unquam pro vero admitteret, nisi quod certò & evidenter verum esse agnosceret; alterum, ut difficultates obviis commodè in partes divideret; Tertium, ut quasi per gradus à cognitis ad difficiliorum cognitionem ascenderet; postremum, ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis nihil omitteret. Jam quidem fateor, hæc non aspernanda esse; multum enim boni afferunt; non tamen agnoscent Cartesium

Autorem, uti ex Cicerone & Aristotele id luculenter offendit Cyriacus Lentulus (χ) Neque omnimodis sufficiunt; Non sānē prætereundæ fūscent, cum simplex terminorum apprehensio, tum Syllogismi compositio, q̄a ratione & in hisce esset procedendum (ψ); Ne dicam, qvod doctrina de interpretatione, deq̄e modo communicandi & vindicandi sensa animi nostri planè à Cartesio sit neglecta, qvæ tamen utramq̄e in Logica paginam facere debebat: ut mirer proinde vanam Cartesij de sufficientiâ jaſtantiam. Videtur idem minus probare Anton. Le Grand, qvi, licet aliâs in omnibus Cartesium ducem seqvatur, longè tamen prolixiorē conscripsit Logicam in multis receptæ conformem (ω).

(ϕ) *Vid. Dissert. de Methodo p. II. sq. (χ) Cartes. Sapient. p. 54. (ψ)*

Hic quām accuratissimum sese præbuit Clariss. M. Godofredus Weber, Rector incliti Gymnasii Berlinensis celeberrimus, Præceptor meus nunquām non obſervanter Colendus in Logicā recentissimè edita, quæ omnino videri meretur. (ω) vid. ejus institut. Philos.

S. IV.

Primum Cartesii principium est: *Cogito, Ergo sum*, qvod omnium primam & certissimam cognitionem, qvam cuilibet ordine philosophanti occurrere credit, nuncupat (α). Idem Heerebordo (β) audit primum Cognitum inter Veritates illatas ac demonstratas, à qvo qui deflecit, judicio Schweiñgii (γ), confusionum Minotauro objicitur; qvi verò in hōc, juxta eundem, c. I. dijudicando factus est idoneus, ille intima qvæque mentis callet, ea aestimare novit, Et instar peregrinaturi, de rebus externis, Et quæ ad se non spectant, tutius judicare, præcipitibus judiciis ferendis non amplius obnoxius, potest. Egregium profectò, si tale est, ut venditatur, principium! An verò ab eo tanquam puncto totum Scientiarum orbem feliciter verterit Cartesius, de eo non immeritò dubitatur, cum & ipse ad hujus sui principii inventum diuturnā dubitatione præviā usus sit (δ). Sanè principia Scientiarum vel à rebus ipsis percipiendis petenda, vel à DEO deducenda sunt. Quid autem Cartesius? Confugit hic ad ideas, qvas in Sui existentia invenit. Quid autem per eas intelligat, ipse exponit (ϵ) nempe cujuslibet cogitationis formam, per cuius immediatam perceptionem ipsius ejusdem cogitationis conscientis sit, adeo ut nihil possit verbis exprimere intelligendo id qvod dicat; quin ex hoc ipso certus sit, in ipso esse ideam ejus, qvod verbis illis significetur; Et hæ ideæ non ipsi sunt in parte aliqua cerebri depictæ, sed ejus mentem in illam cerebri partem conversam informant. Ex his omnem veritatem se derivasse putat, adeo ut juxta

Poirer

Poiret (ζ) diversum quid ab illis nullatenus concipere quis possit. Sed, mi Cartesi , quid si fallaris ? Nulla sanè causa est, qvæ clara & distincta perceptio interna minus qvam externa fallaciæ subsit. Neque minus Veritas eorum , qvæ vivaciter & constanter sensus movent, in dubium est vocanda, qvam qvæ dant tibi tuæ mentis ideæ. Inqvis, has ideas tibi esse intratas, & te doctum esse à natura (η) adeò ut Allinga (θ) dicat non sufficere, ut rectè quis judicet, qvod in ipsa re sit Veritas. Sed sic philosophia sine omni dormitione & hæsitatione afferenda esset, cuius tamen contrarium satis evictum dedit disputatio recens moderante Excellentissimo Dn. Præside meo habita (ι) Et si hypothesis ista obtineret, Cartesius veritatem magna ex parte subticendo, in ipsam posteritatem injurias suisset; Jam vero & ipse in multis dubiâ tenetur veritate, forsitan qvia mensura Cognitionis de rebus, qvæ præter DEUM & ipsum sunt, juxta Poiret (κ) non est desumenda ex respectu ad res ipsas sed ex placito DEI. Hoc Cartesio dederim facultatem res in natura sua Cognoscendi (λ) nobis à DEO esse insitam, an verò inde statim adæqvata, ita ut non aliter se habeant, rerum obtineamus veritatem , valde dubito. Omnis ferè Scientia nostra versatur circa externam rerum figuram nobis obviam. Hoc attendens Poiret acris alias Cartesii pro-pugnator , Mens, inquit (μ), humana est tanquam tabula, qvæ uti non omne nec ex omni parte corpus solidum resert, sic nec mens omnia originalia (divinas de rebus ideas) nec ulla prima eorum apographa (res ipsas nempe qvæ exactissime prima originalia referunt) ex omni parte representat. Interm video, qvibus cum Commercium ineat Cartesius nempe cum Platoniciis, ceu vulgo horum sententiam delineant (ν) hoc saltim discrimine, qvod illi per ideas res demum in se evolverint, hic vero rerum in mente ideas jam formatas circumferat claras & distinctas, ad qvas tantum contemplandas per attentionem excitetur. Sed mitto hæc : unum duntaxat qværam adhuc ex Cartesio, qvare non æqve ex motu pedum vel assumptione cibi sui concludat existentiam, qvam qvod cogitet? Aeqve incertum poterat esse, illum cogitasse ac percipere dolorum vel voluptatum punctionem; Non sanè putaverim acriorem cogitationis qvam dolorum qvamqve voluptatum stimulum esse. Sed, ut mens à corpore distingveretur (ο) lensuumqve valor imminueretur, Cartesius hoc suum principium substituit.

(α) PP. Ph. part. I. S. VII. p. 2. (β) Meletem: p. 329. (γ) Disput. de Admiratione art. III. p. 4. (δ) vid. ipsum ad somnum usq; dubitantem Medit. I. & II. quod etiam in Cartesio maximè reprehendit Exercitium
Anti-

*Anti-Cartesianam ante annum & quod excurrit sub Presidio Excell. Dr.
Præsidis, Respondente Amico meo intimatq; ad urnam usq; astimando. (e)
definit. 2.p.85. (z) Cogit. Ration. p.128. §.9. quod qvibusdam similibus ibi
illustrat. (n) Medit. III. p.17. (θ) Erotem. 12. p.369. (t) inscribitur : De iis,
in qvibus Philosophia dormitare vel hærere videtur, multa buc spectantia
eam perlegendō invenies. (x) c. I. p.173. sqq. (A) ita Rationem describit
Becman. Moral. c. III. §. 2. (μ) c. I. p.176. §. IV. (v) vid. Vossium de Seſt.
Philos. c. XII. §. 9. & 10. Judicium ipſe habet §. 11. (o) Conf. Dīſſert.
de Methodo p. 21. ubi Cartesius inquit, quod per ſolam mentem fit is,
qui ſit.*

S. V.

Primum quod Cartesius ex ſuo principio concludit, eft Existēntia DEI,
fed qvām bēnē jam videbimus. Redit vero hīc ad DEI ideam in ſe animad-
verfam (π) qvām vocat notam Artificis operi ſuo impressam (ε). Diversa
tamen eft à ſcintillula Theologorum Myſticorum apud Pontificios. Hi e-
nim per iſtam circa verticem in iſporum capite hārentem venditant, ſeſe co-
gnoscere DEum non tantum in Eſſentia, verum etiam in Trinitate, qvām id
propter etiam Myſtici ſibi ſolis vindicant (σ). Cartesius contrā ſibi per ſuam
ideam repræſentat DEum tantum in eſſentia, qvemadmodum ita repræſen-
tur per attributa. (τ) Et huic ſuā ideā id attribuit Cartesius, ut ejus fulgori
cedendi omnibus etiam atheis neceſſitas inde imponatur. Sed iſtamus pa-
rumper hīc confidentia tantæ gradum; Ni mis te, Cartesi, præcipitas in pro-
mittendā tibi ab atheo victoriā; Quid ſi dixerim, tua argumenta hīc eſte fi-
culnea? Excipiet enim atheistus ab idea ad ideatum male concludi; Multa nobis
per errorem imprimuntur, qvæ tamen nihil ponunt. Hāc ſanè ratione Pon-
tificiis ideam purgatorii ſibi ſingentibus haud ſpernendum accederet patroci-
niū. Sed qvid mirum? Cartesio ut Pontificiæ religioni addiçto per affi-
fectionem etiam talia facile obvenire potuerunt. Neqve Cartesio dixiſſe ſuf-
ſiciet, hanc de DEO ideam omnibus in eſſe hominibus ζγ φύσει. Atheus enim
hoc ad informationem Parentum & paedagogorum transferet; qvomodo
convincetur? Nec video ad quod idearum genus ideam DEI reſer-
rat Cartesius; ſi ad innatas, qvare de illis dubitat? tanta ſanè investigatione
DEI ſuperſedere potuiſlet? Si ad adventitias; ad eſſe & ab eſſe poterit; Si vero ad
ſicutiias (quod tamen iſpum haud facere ſcimus); qvis non abire juberet Car-
tesium ad vanitates ſigmentis indulgentium? Sed ad rem propius: Cartesii i-
dea eft nimis imbecillis ad Ens ſumme perfectum ſibi repræſentandum. Pro-
inde

inde Petrus Poeret (*v*) negat DEUM adaequatae representari posse, cum sit incomprehensibilis. Qui ergo satisfiet atheo exactam inter ideam & ideatum harmoniam postulantem. Intelligit quidem Cartesius nomine De substantia infinitam, independentem & summè perfectam (*Q*); Sed ad hæc atheistus, præente jam ipsi Hobbo juxta Cyriacum Lentulum (*X*), qvam speciosissimè excipere potest; Infinitatem concedet, qvalē horum concipere negat, non autem omnimodam; Cujus enim, inquit, partes extremas humanae imaginationes non attingunt, illud non statim sub ideam omnimoda infinitatis cadere potest; sed quid? si tantum ideam Cartesio daret suorum finium. Sanè ipse Renatus fatetur mundi terminos se non posse imaginari sibi, qvin semper dentur ulteriores (*P*), aut ergò mundus infinitorum numerum incurret, aut illa idea divinitatis erit incongrua, qvod annon præterea præsumi possit ex ratione infiniti, qvam esse dicit (*w*), ut abs eo, qui sit finitus, non comprehendatur, cuilibet judicandum relinquit. Paxili modo etiam atheistus ipsi independentem DEUM ex ejus idea largietur, nempe cuius causa Cartesianā perceptionem fugiat, propter mentis arctiores limites. Adde, qvod Cartesius ipse suo gladio se jugulet, DEUM dicens (*a*) esse à seipso qvam maximè positivè, ita, ut qvodammodo idem præstet, qvod causa efficiens respectu sui effectus. Quid hoc aliud est, (si terminum curatius inspiciamus, qvicqvid excusare conetur) qvam DEUM in se negare independentem? Perfectionem vero DEI summam si urgeat, illans adversarius restringet vel ad Essentia complementum, vel ad operationis interruptæ efficaciam, vel etiam ad aptitudinem summam ad finem suum semper obtinendum. Qvomodo ergo atheum hisce Cartesius constringere possit, ego quidem non video, ut potius vel pertinacior inde evadere non immerito censeatur. Addo, qvod nec Cartesius sua idea unitatem DEI apoditicè probare possit, qvam tamen unam esse dixit (*B*) ex præcipuis perfectionibus, quas in DEO intelligeret. Quid enim obstat, qvò minus duo summè perfecti esse possint? ut nihil dicam de regnis politicis, ut hodie Moscovia, ubi duo Zaar p[re]s[ide]nti Majestate regimen gerunt, adversarius semper ex fide ipsius Cartesii opptignare potest, qvā nobiscum confitetur tres personas in una Deitate realiter distinctas. Qvicqvid hic reposuerit Cartesius, illud in ipsum retundet adversarius. Nimis ergò infirma est DEI idea in Cartesii mente. Neque capio, qvare huic sue idea Cartesius nihil neque detraictum neque superadditum velit (*y*) Antonius quidem Le Grand hujus rationem reddit sed nimis vacillantem. Qvod enim hic ad essenti-

as rerum indivisibiles (δ) provocat, illud parum confert ad ideam rerum indivisibilem. Essentiae enim suam Connexionem obtinent à DEO, qui, uti seipsum negare nequit, ita nec eas sine destructione mutare potest; Ideam autem, cum sequatur tantum Connexionem rerum cum intellectu, varie potest mutari, quousque intima rerum exactè introspecti menti Copiam non fecerit ejus imbecillitas. Hinc quām sēpē rerum ideā mutationem subierint, loquitur experientia... Sanè philosophi vel ante Cartesium ideam etiam rerum in se aluerunt, cui tamen ex Cartesii mente multum detrahendum multumq; superaddendum venit. Et quid fiet de ethniciis? Hic certè ideam DEI habuerunt, uti vel ex Aristotele, Cicerone & Platone Constat & tamen eos Paulus dicit ignorasse DEum (ϵ) vocatq; athcos in mundo (ζ). Multum ergo ideā DEI in ipsis fuit detractum multumq; superadditum; Quid proin obstat, qvin idem de Cartesii idea imperfecta pronunciemus.

(π) Vid. Medit. 3. p. 21. seqq. (ρ) Ibidem p. 24. (σ) Excerpta hac ex discurs. Msc. super Pneumat. Excell. Dr. D. Alberti conf. Robertum de Flud tractat. de Microcosm. Sect. II. p. 116. ubi docetur, quomodo augmentum suum capiant he Scientilla. (τ) Vid. cit. Med. III. p. 21. (υ) Cogit. Rat. p. 104. §. III. (ϕ) Medit. 3. p. 21. (χ) Vid. Cyriac. Lentul. Cartes. Sap. p. 108. (ψ) Part. 2. PP. philos. §. 21. p. 31. nē autem irridiam aliorū in se derivarer, declinavit hic vocem infiniti substituens ejus loco indefinitum, Part. I. PP. ph. §. 27. p. 8. quod an Cartesium omnino dis excusat, judicent alii. Mihi videtur mentem eandem hic foruisse. Perpendantur modo verba, quibus Moro inter alia responderet Ep. 69. part. 1. p. 206. Repugnat, inquietus, conceptui meo, s. quod idem est, puto implicare Contradictionem, ut mundus sit finitus vel terminatus, quia non possum non concipere spatium ultra quoslibet praesuppositos mundi fines. (ω) Medit. 3. p. 21. (α) respons. ad object. Prim. p. 58. add. Anton. Le Grand instit. phil. p. 138 ubi docet, DEum quia se ipsum conservet, non tantum negativē, d. positivē etiam à Se ipso esse. (β) Med. 3. p. 23. (γ) ibidem p. 24. (δ) instit. phil. p. 143. (ϵ) Gal. IV. 8. (ζ) Eph. II. 12.

§. VI.

Imaginariam DEI ideam excipit in Cartesio etiam imaginaria rerum per vortices demonstratio, quod ut eò clarius pateat, in pauca ex mente Cartesii, ut breviter haec exponi solet, vorticū naturam contraham (η). Scilicet præsupposuit Cartesius, totum expansum hocce in partes inæquales abiisse, aliquibus globosis, ne spatia triangularia vacua relinqverentur, nunc has

has nunc illas partes subtiliores reqvirentibus. Interim ipse partes i[n]aequa-
les in certum ordinem debuerunt coire, ut distincta tam in superioribus,
qvam in his inferioribus prodire potuerint corpora. Iibi ergo collige-
rentur ante omnia centra lucidorum plena subtili materia, globi retineban-
tur, à Centro licet recedentes, intra certam tamen Circumferentiam agi-
tati in modum aquæ (nam celum quoque fluidum Corpus est) multos Cir-
culos describentis & in medio aut Centro eorum Circulorum colligentis
velut materiam & absorbentis. (θ) Situm vero vorticum ostendit Carte-
sius ita, ut motus lateralis respondeat motui concidentiæ, qvod vel ex
vorticum aquæorum inspectione patet. (ι) Sed quantum h[ic] Carte-
sius à Veritate abeat, neminem fugere putaverim; Subtilem qvidem iste fese
præbuit in h[ic] speculatione Mathematicum, sed non satis acutum physi-
cum. Qvanqvam etiam dubitetur adhuc de mente Cartesii, num tantum
istas sententias ut hypotheses venditari. Non enim putat alia hisce simpli-
ciora vel intellectu faciliora vel etiam probabiliora rerum principia posse
ex cogitari (κ) ita ut Cl. Schweling (λ) naturæ celi convenientius vortices,
qvam celum esse, dicat. Sed cum alii in his dis cutiendis jam satis desudâ-
rint, cum etiam Magni Viri magnam in his obscuritatem candidè profite-
antur, qvos impræsentiarum evolvere omnes atque hoc transcribere brevi-
tati studentes nequivimus, satis sit hocce ~~ως~~ ~~εν~~ ~~ταχεόδωρο~~ attigisse. Jam tan-
tum admirati fas sit Cartesii audaciam, qvæ opus creationis humana Sapi-
entia emetiri annis fuit. Persuasum enim sibi habet, (μ) etiamsi nullam
aliam formam DEUS chao ab initio dedisset, dummodo post naturæ leges
constitutas, ipsi Concursum suū, ut solet, commodasset, sine ulla in creatio-
nis miraculum injuriā credi posse, eo solo res omnes purè materiales, cum
tempore qvales nunc esse videmus, effici potuisse. Hoccine verò anno
est S. Scripturæ apertè contradixisse? Hæc ipsam rudis materiae in hanc ce-
li & terræ variorumq[ue] animalium formam & naturam conflationem opus
pronunciat omnipotentia Divinæ (ν) ita ut sapientia Divina excellentissimè
inde elucescat (ξ); qvoniam ergo à Cartesio h[ic] neglecta est, quid mirum
qvod ipsum mirè confundat. Neq[ue] concursus generalis DEI ad rerum conditi-
tarum conservationem, ad qvam Cartesius provocat, ipsum qvicqvam ju-
vabit. Qværitur enim h[ic] inter nos de rerum ortu; Et ut effectus non impu-
tatur cause generaliter sed specialiter & determinate influenti, ita b[ea]c non illa
causalitas requiritur ad effectum, in quo cause sapientia & potentia eluet,
sunt verba summe Reverendi Dn. D. Schomeri. (ο) Maximè vero in Car-
tesio

tesio h̄ic reprehendendum venit, qvod non veritus fit DEUM cujusdam Confusionis arguere, quando productionem ex chao contra summam perfectionem DEI esse arbitratus est (π). Eō perversitatis nimia ingenii sui arrogantia quendam deducere potest. Ipsū Cartesium oportuisset esse memorem eorum, qvā, ut recte de constructione mundi spectabilis philosophemur, observanda proposuit (ρ), qvibus qvam aperte jam ipse confutetur, judicio B. L. relinqvam. Addam potius, qvod ordinem planē Mōsi Contrarium rerum creatarum sibi singat. Prīmū DEO celi in vortices divisi, deinde Solis & stellarum fixarum productionem imperat; à stellarum fixarum unā globum terraqveum obductā maculā prodīsse singit, qvem postea in Solis vorticem abreptum secuta sit haec telluris facies & aquarum separatio. Fateor, me h̄ic vix penetrare assatim Cartesii subtilitatem, qvā, etiamsi DEUS plures mundos creasset, nullum tamen esse posse, in quo haec non accuratē observarentur, audacter pronunciare non dubitavit. (σ) Neqve rationem video, qvare Cartesius, cum alias immediate ad DEUM provocaverit in motu, non eundem alleget in Coordinatione universi, ut adeo bene Dn. Pr̄ses, pudeat Cartesium, inquit, (τ) regulas quasi pr̄scribere DEO velle, easqve subtiles nimis, & contra scripturā ductum positas. Non negavero qvidem distributionem materiæ in partes, neqve ex earum varia confluxione oriri potuisse fidera; sed unde Cartesio accuratē rerum natūram investigaturo patet Connexio derivationis unius corporis, unius vorticis ex alio? Non male Terentianus Prologus: Nā homines faciunt intellegendo, ut nihil intelligent!

(η) Vid. Colleg. nostrum Philosoph. sub Dn. Pr̄sid. hab. Part. II. phys. c. t.

§. 36. sq. (θ) vid. Part. III. PP. phil. cum primis §. 92. p. 97. (ι) vid.

Part. III. PP. phil. §. 65. p. 75. §. v. sq. invenies ejus appiattam figuram. Confer Anton. Le Grand instit. phil. & cum primis Greydanum, Institut. phys. p. 77. ubi distinctè vortices per motum circularem explicat. (κ) Part. III. PP. §. 47. p. 65. (λ) Dissert. de Cometic Phénom. (μ) Dissert. de Method. p. 28. (ν) Psalm. CII. 26. (ξ) Jerem. X. 12. Ll. 15. (ο) vid. Colleg. Theolog. de novissim. hujus seculi, Controvers. c. V. §. 2. respons. ad objēct. 2. (π) P. III. Pr. §. 47. p. 65. ut adeo jure impia Sommolenta Cartesium arguerit Disp. Excell. Dn. Pr̄sid. de iis, in qvibus Philosophia dormitare vel hæcere videatur, §. 19. (ρ) P. 3 PP. Phil. §. 1. & 2. p. 50. (σ) Dissert. de Method. p. 27. (τ) in Colleg. diuol. c. §. v. 38.

Mira quoque est Sententia, quam Cartesius fovet de brutis, quæ & hæc nostra vel qualicunque ventilatione digna visa est. Scilicet Cartesius, quemadmodum cum suis seqvacibus corpus brutorum Machinam hydraulico-pneumaticam naturalem vocat (ϕ), ita eorundem motum in sola organorum dispositione, ut in *avēpātīs*, ponit; Hinc brutorum sensus in ruinam dantur, quod etiam effectum reddere omnibus viribus tentavit Anton. le Grand (χ), sed successu, meo quidem iudicio, non adeò felici. Tres autem sentiendi gradus cum Cartesio constituit. Primus receptionem & representationem objectorum absolvit, quod fit, quando objecta externa in organa sensuum agunt, ubi Spiritus, juxta Sengverdum (ψ), extremas nervorum fibras occuparunt, qui in suo motu determinati similem determinationem imprimunt Spiritibus sibi proximis magisqe ab illis extremitatibus diffisis (ω). Unde motus iste insuetus, mente Schwelingii (α) defertur ad substantiam cerebri & sensorium commune, à quo missi Spiritus animales valde tenues & subtile ejusmodi pressione pulsi velut scintillæ ex ignibus artificialibus summa vi ruunt versus illam cerebri partem, quam superficiem cerebri idem (β) vocat, haec tenui tangi non solitam. Inde propter Consistentiam & figuram horum Spirituum oritur apertura cerebri, in quam Spirituum Animalium inclinatio fit usque ad fontem suum, qui Cartesianorum opinione est *glandula pinealis*. Alter sentiendi gradus est perceptio i.e. mentis animadversio, quod objectum præsens sit; oportet enim mentem ex reciprocâ unionis lege excitatorum in corpore motuum Conscientiam habere, quam intellectionem non abs re Schweling (γ) dicit speculo s. oculo comparari, qui rerum exteriarum formas recipiat; cui quando propter mentis actualitatem superadditur judicium, tertius conficitur sensus gradus. Jam verò Cartesius cum suis primum dunt taxat ex his brutis largitur reliquos unicè Homini vindicans, ita ut brutis tantum patiendi gloria sine ulla perceptione sit relicta. Curiosa sane *anæsthesia* Cartesij, sed an sane curiosa disqviri solet. Vel ipsæ sacræ paginae brutis apprehensionem & cognitionem quandam (δ) imò aliqualem prudentiam mali evitaticem (ϵ) relinqunt. Nec tamen inde statim bruta irrationalium numero eximenda veniunt; (cujus admitti in brutis absurditatis accusantur quidam ex philosophis gentilibus, & recentiore memoria Laurentius Valla, quorum genuinam sententiam adductam vide ac refutatam à celeberrimo Thomasio in Physica p. 186.) Non enim, stylo Maxime Reve.

Reverendi Dn. D. Schomeri, (ζ) apprehensio sensuum directa confundenda est cum attentione ad illum reflexa. Hanc cogitatione semper stipata menti vindicamus, illa, quae à Sangvine in sua circulatione constituto ori potest, etiam conceditur brutis; ut adeo Cartesius frustra metuerit frustrandum suum conatum in natura animæ rationalis demonstranda, si sensioni etiam bruta subiecisset (η) Et si Anima rationalis tantum sentiret, excluso corpore, corpus neque dormiret, neque senesceret, neque respiraret & moreretur, quia nihil perciperet. (θ) Quin ipse Cartesius sensionem dicit (ι) fieri Spirituum vehiculo; jam vero hos Spiritus tenuissimæ materiae partes esse constat; quia ergo corpus sensioni subtrahi potest, cum & isti Spiritus in corpus agant: unde tot admirabiles in brutis operationes conspicuntur, quibus excutiendis, judicio Schwelingii (κ) vix Oedipus par esse potest. Hinc si quæras, cur Canis percussus querulum sonum edat, alegend te Cartesiani ad aëris percussionem tenui bacillo factam, ubi eundem inconvenientem veluti gemitum percipias. Si porrò Canem ob alimenti intopiam ululantis sonum edentem esurire statuas, tibi objicient rotam vehiculi, cuius siccum axem exungia carentem strepitum inquieti velut animi edentem advertas (λ). Tām expeditē sese isti homines norunt laqueis ipsorum capiti imminentibus extricare; sed quanto cum veritatis detimento judicent alii. Egō hoc saltim jam perpendendum relinquo, annon hāc ratione vel unicuique eandem, quam ipsi in lignum DEUS concessit, sævitiam etiam in bruta exercere integrum esset? cum tamen juxta scripturam bruta misericordiae & lenitatis objecta sustineant (μ) Sanius proinde Petr. Poiret in posterioribus cogitationibus hāc de re sensit (ν) de eo nempe omni, qvod in brutis sit vel esse possit, nihil ita certè posse statui, tum quia extra ipsius economiam sint (sive quia experientia eorum, quæ in illis sunt, nos non attingat) tum ob immensitatem potentie DEI, juxta quam plurima possunt esse in illis, quam quæ putamus. Qvod ubi animadvertis Cartesius, suam videtur multasse sententiam (ξ). Quamvis, inquietus, pro demonstrato habeam, probari non posse aliquam esse in brutis cogitationem, non ideo puto posse demonstrare nullam esse, quia mens humana illorum corda non persuadit. Sic veritas oppugnata vel invitum tandem adversarium suum expugnat, expugnatū mitigat.

(Φ) Vid. Schweling. Disp. de Microcosmo p. 3. §. VI. ubi id cum bestiis nobis commune esse docet. conf. Cartes. tractat. de Homine p. 2. §. 2. ubi supponit corpus nil aliud esse, quam terream statuam s. machinam. (κ) tractat. de Carent. sens. & cognit. in brutis. (ψ) philos. Natural. cap.

cap. ult. Conf. Cartes. Dioptr. cap. IV. §. 2. seqq. (ω) vid. Schwei-
ling. Disput. de Admirat. art. XIII. p. 12. (α) ibidem (β) Disp. de
Microcosm. p. 22. §. 49. (γ) Disp. de Adm. p. c. (δ) Es. I. 3. (ε) Matth.
X. 16. (ζ) in Coll. MS. de nov. Controv. cap. V. Aph. VIII. re-
spomf. ad obj. i (η) Conf. dissert Cl. Morboſii de paradoxis ſenſuum,
ubi Carteſii intereſſo hāc in re ſatis accurate evolutum invenies cap. i.
ſub fin. ferē. (θ) Vid. Ciriac. Lentul. Cartes. Sap. p. 348. (ι) Dioptr.
c. 4. §. 3. (κ) diſſert. de Sympaſib. & Antip. p. 17. §. 20. (λ) vid. eund.
Schweling. c. praeceſ. diſp. p. c. (μ) Prov. XII. 10. ion. IV. ii. (ν) in append.
Cogit. Rat. p. 304. §. IV. (ξ) Part. i. Epift. 67. p. 188.

§. VIII.

Ubinam tandem animæ noſtræ ſedes figenda ſit, nimis Curioſum
ſuum Carteſius fatigat ingenium; Acquiescit vero hīc in glandula pineali
à figura nuclei pinii ita dictā (ο), cuius delineationem paucis jam fuſceptu-
ri ſumus. Et qvidem Carteſius eam tradit (π) ſitam eſſe in medio ſubſtan-
tia cerebri ſive, ut stylo Ludovici de La Forge utar (ρ), in ventriculorum
meditullio, & ita fuſpensam ſupra Canalem, per quem Spiritus Cavitatum
cerebri anteriorum communicationem habeant cum Spiritibus poſterioris, ut
minimi motus, qui in illa ſint, multum poſſint ad mutandum curſum horum
Spirituum, qvorum reciprocè vel minima mutationes multum inſerviant
mutandis motibus hujus glandulae. Nempe cum Spiritus animales per tu-
bulos plexus cerebri ingredientes respiciant ſemper glandulam, undē pro-
fluunt, convertunt ſe hi, juxta Carteſium (σ) ad diversa hujus glandulae
puncta. Hinc, judicio Ludovici de La Forge (τ), qvamprimum cauſa
aliqua mutat Spirituum motum, eodem qvoque tempore ſuum glandula
ſitum mutat, ita ut aucto motu aliquantuluni erigatur, imminuto verò iſto
eadem deprimatur imò confeſtim in eandem vergat partem, qvaqvaver-
ſum trahatur. Hanc ergo Glandulam commodiffimam animæ præbere
ſedem, ſibi Carteſius cum ſuis perſuſum habet, idqvè, juxta Schwelin-
gium, (υ) tanto magis, qvod totum Corpus humanum ita ſit conſtructum,
ut motiones ejus partibus obvenientes momentanea facilitate omnes ad
præfata glandulam poſſint deferrri; In hāc ſolā, ex mente Carteſii, ſenſibilia
externa & omnes ideæ à qvibusque ſenſibus oblatae ab anima apprehendun-
tur tanqvā in Centro, apprehenſa diſcernuntur, & diſcreta per Spiritus il-
lic

ETC. II.

Hic existentes ad varios nervos mittuntur. Ingeniosa quidem satis est hæc Cartesii sententia, nondum tamen, ut in eam descendam, ego possum adduci. Et quidem si inspectioni hic quid dandum esset, vel ipse pudor à sententia ista me avocaret. Situm enim suum glandula ista sortita est (φ) inter testes, quibus latere inferiore firmiter innititur, & nates, quas apice respicit, ut etiam inde *penis* nonnullis audiat; quanquam lascivire videantur *Johann. Antonide Vander Linden* (χ), qui horum vocabulorum usum etiam hoc traxerunt. Ut autem rem proprius aggrediar, Cartesius situs Glandulæ hujus ignarus videtur fuisse, licet rem accurate examinando sibi videatur evidenter cognovisse (ψ); Non enim in medio sed ad principium quarti Ventriculi (ω), quod, juxta Bartolinum (α) in nobilem intrat, jacet; Non quidem, ut Ludov. de La Forge (β) adversarii suis falso imputat, negavero eam glandulam pertinere ad ventriculos, non tamen inde statim efficitur, eam esse in ventriculis; sic lateres tecto impositi etiam essent in domo. Neque suspensa conspicitur supra Canalem, quem Cartesius posuit, sed sita sub vase illo venoso (loqvor jam cum Joh. Vander Linden (γ)) in quod plexuum Choroidum vase sanguinem suum effundunt regerendum in sinum quartum crassæ meningis. Hinc Medicorum filii eam præficiunt distributioni vasorum per cerebrum disseminatorum, ut eorum divisiones firmet. (δ) Et si Bartolino (ϵ), quam tamen omnino meretur, fides est habenda, non in origine Spirituum, sed excrementorum loco posita est, quo per tertium & anteriores duos ventriculos emittuntur; Si jam idea omnes ibi apprehenderentur, quomodo ab inquinamentis forent immunes. Quid? quod, cum hæc glandula sit perquam exigua, omnium rerum species citra earum confusionem non possit representare. Accedit, quod Sylvius, notante Bartolino (ζ) non semel in hæc glandula pineali aliquot arenulas quin & aliquando Calculum exiguum observaverit; Viæ ergo speciebus recipiendis obstruerentur. Quod vero Schwelingii sententiam supra adductam spectat, eam vel id dubiam reddit, quod nulla Communio Glandule pineali cum quibusdam nervis sensuum externorum intercedat propter destitutum in ista glandula ductum ad illos nervos (η); Et sic nec omnes corporis motiones possent deferri ad glandulam præfatam. Qui ergo convenire possunt in unum omnes impressiones [quod tamen Cartesius potissimum urget (θ)] in hæc glandula, antequam ad animam perveniant: Multa sanè prætermitterentur, quorum tamen cognitionem mens

nostra

nostra etiam adamat in sui incrementum. Hoc videtur advertisse Ludov. de La Forge; Hinc de hâc Cartesii sententia cum formidine falsitatis loquitur, qvanquam nihilominus hypothesis maximè probabilem eam venditit (s). An vero tandem Cartesii sententiae, qvod qværit (x) in unitate & simplicitate hujus glandulae, præsidium satis tutum sit, de eo ambiguum me dixerim? Hâc certè Conditione & cor & stomachus cum glandula pineali, qvam unitate & simplicitate æquant, de sede mentis certarent, prouti eam jam in cor Peripatetici cum Greydano Cartesiano (y), in stomachum verò Helmontius, teste Cl. Thomasio (z) transtulerunt; qvorum cum primis anteriorum exemplum si secutus fuisset Cartesius, fortean majorem sibi potuisset promittere pacem, qvà fruictur cum Galeno. Sic itaq; probabilitati Cartesii sententiae, meo quidem tenui judicio, nimis multum est detractum, ut nimis parum remanserit; Quid vero istud sit, habet Schwelingius (r)? nempe cum omnia nostri Corporis membra claræ nostræ possint subesse imaginationi præter solam glandulam pinealem, putat, autoritate Tobiae Andreae Profess. Medic. in Academ. Francofurt. ad oderam motus, glandulam pinealem ultimum terminum functionum esse per Corpus; Num verò, & qvousque hoc argumentum procedat, nolo nunc prolixius inquirere, cum credâ fatis abs qvolibet rem accuratius enucleante id intelligi. Mea certè glandula pinealis cum ceteris membris param in me admittit imaginationem. Sed Sapienti sat! nihil restat pro instituto meo, nisi ut B. L. veniam, si in qibuscum non adeò proximè remacu tetigerim, implorem. Tanto enim Viro, qvalem Cartesium ejus propagatores venerantur, vix non succumbunt ingenii mei vires. Ceterum DEO Triuni, cuius gratiâ hoc qvalecunque negotium suscepi, sit pro concessis viribus gratiarum actio, Laus & Gloria in nunquam terminanda secula.

(s) Vid. Thomæ Bartolini Anatom. p. 336. (w) Part. I. de Pass. art. 31.
p. 15. (e) in not. ad Cartes. Tract. de Homine p. 106. (x) in Tract. de Hom. §. 63. p. 100. (t) c. l. (v) dissert. de Microcosm. art. 79. p. 37. (f)
vid. Vander Linden Medicin. Physiol. p. 405. a. Conf. Excellentiss. nostri
Dñ. D. Döbelij Sciagraph. Corporis Human. Sect. VII. §. 3. ubi testum
& natum nomine venire docet ramos Coituros Cerebri. (x)
c. l. p. 404. b. (y) part. I. de Pass. art. 31. (w) vid. Vander Linden c. l. p.

405. 2. (α) *Anatom. p. c.* (β) *Traçtat. de Mente Humana c. XV. p. 119. §.*
28. (γ) *c. l.* (δ) *vid. Bartolin. Anatom. p. c.* (ε) *c. l. p. 337.* (ζ) *c. l. p. 336.* (η)
vid. Bartolin. Anatom. p. 337. (θ) *P. i. de Pass. art. 32.* (ι) *Traçtat. de M.*
H. p. 120. §. 31. (κ) *part. i. de pass. art. 32. p. 16.* (λ) *vid. ejus instit. Phys. p. 327.*
(μ) *vid. Physic. ejus p. 231.* (ν) *de Microcosm. §. 79. p. 37.*



COROLLARIA.

I.

Philosophiam amo Electivam.

II.

Logica, qvæ præter modum resolvendi non etiam tradit modum inveniendi, usum suum non satis probat.

III.

Scholasticorum Philosophia in multis est nimis subtilis.

IV.

Patrem sese tantum præstare causam moralem filii sui, nimis durum est.

V.

Status integritatis Ethnicis sibi relictis non fuit cognitus.

VI.

Status hominis merè naturalis, ut traditur ab Hobbesio in Element. de cive c. I. §. 10., est Compendium malorum omnium.

VII.

Impium fundamentum juris naturalis Hobbesiani est, ut quisq; vītam & membra sua tueatur omnibus modis & qualicunq; actione vid. c. I. §. 7. sq.

VIII.

VIII.

Malè Hobbes cap. 2. in annot. ad §. 1. per rectam rationem intelligit rationandi actum i. e. ratiocinationem uniuscujusq; propriam & veram circa actiones suas, qvæ in utilitatem vel damnum ceterorum hominum redundare possunt.

IX.

Dominium privatum etiam locum invenisset in statu integratatis. Vid. Excell. Dn. Alberti I. N. part. 2. p. 136. seqq.

X.

Rempublicam, si Continuatus fuisset, status integratatis etiam admisisset.

XI.

Peccare subditos non dubito, qvando mandata Superiorum injusta exeqvuntur. Contrà Hobbes. in Elem. de Civ. c. XII. §. 2.

XII.

Idem c. 1. cap. 15. §. 2. p. 258. blasphemè negat, atheos esse subditos DEI, qvia voluntatem suam DEI voluntati nunc quam subjecissent juxta §. 19. c. 14. p. 248.

XIII.

Fontem omnis malitiæ in intellectu qværendūm esse, veritati congruum docet Becmann. Moral. c. VI. p. 84.

XV.

Sententia Aristotelis: ubi plurimum mentis, ibi minimum fortunæ est, ubi autem plurimum fortunæ, ibi minimum mentis: causam in rerum suarum Cura assiduâ, & negligentia haud malè qværit Becmann. Moral. c. VIII. p. 131.

XVI.

Nundinæ, qvæ in permutatione & emptione consistunt, et si in statu integratatis non institutæ fuissent, componendæ

tamen

tamen sunt ad normam Communicationis rerum benignissimæ; Vid. Excell. Dn. D. Alberti part. 2, l. N. p. 161, §. 8. seq.

XVII.

In nundinis, ubi cuiuslibet generis venalia exponuntur, consensus & dissensus regnant.

Ad Prae-Eximum Clareg. Doctum.

DN. RESPONDENTEM,

Auditorem & Amicum S.


Solertissimum æstimatissimumque.

DUm nundinis vacat ROSETUM Nostrum solennioribus, TUI Tuas quoqve, non in foro, sed Majori Auditorio meditaris. Prodis in publicum, ut merces exponas, quas hactenus labore singulari collegisti; exponis, ut Te Tuumque ingenium Bonis omnibus commendes. Egregium coeptum! cui adplando, cui, abs TE electus Moderator, paratissimus assisto. Ceterum unde supplex Tibi, quam communicare aliis, de quà plurium æstima audire publicè, Tecum constitui? CARTESIUM Autorem habet, illustre, sed novum in Philosophia nomen. Ab hoc istam petitis mutuam, at, ut proscribas, ut rejicias. Mira res, aliis TE exhibere, quæ Tibi displicant; nec improbanda tamen, quod hâc ratione fatis doceas, quam didiceris judicare, quid distent æra lupinis. Macte his Tuis nundinis, quæ verè Tuas sunt: nolui enim de meis quicqvam immiscere. Tuo, quod sincerè hâc profiteri possum, abs studio calamôque; profectum omne est, quo d^{cunq}z hâ paginæ offerunt. Insiste his porrò vestigiis, & sapius tam gratas repete poteris nundinas! Plura non addo; quandoque idem ad laudem quæ spectant Tuam abs me non expectas, quam potius ipsâ re uti hactenus, sic etiam perendi demonstratus es. Si quid subnectendum tamen, ut te digna Tuis, egregiis maximè, conatibus excipient præmia, toto pectori animoque; adprecor! Vale.

scr.

GOTTLOB FRIDERICUS SELIGMANN

P R A E S E S.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73244568X/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73244568X/phys_0023)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73244568X/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73244568X/phys_0024)

DFG

nostra etiam adamat in sui incrementum...
 doy. de La Forge; Hinc de hâc Cartesii sente-
 tis loquitur, qvanquam nihilominus hypothe-
 vendit (s). An vero tandem Cartesii senten-
 tate & simplicitate hujus glandulae, præsidium
 biguum me dixerim? Hâc certè Condition
glandula pineali, qvam unitate & simplicitate a-
 rent, prouti eam jam in cot Peripatetici cum C.
 stomachum verò Helmontius, teste Cl. Th.
 qvorum cum primis anteriorum exemplum si f-
 tean majorem sibi potuisse promittere pacem,
 no. Sic itaq; probabilitati Cartesii sententiae, me-
 multum est detractum, ut nimis parum remans-
 het Schwelingius (v)? nempe cum omnia no-
 nostræ possint subesse imaginationi præter-
 putat, autoritate Tobia Andreæ Profess. Medi-
 oderam motus, *glandulam pinealem* ultimum
 per Corpus; Num verò, & qvousque hoc
 nunc prolixius inquirere, cum credâ satis abs q-
 cleante id intelligi. Mea certè glandula pinea-
 tem in me admittit imaginationem. Sed
 instituto meo, nisi ut B. L. veniam, si in qvibusd-
 eu tetigerim, implorem. Tanto enim Viro, q-
 gnatores venerantur, vix non succumbunt in

DEO Triuni, cuius gratiâ hoc qvalecunqve
 concessis viribus gratiarum actio, Laus
 terminanda secula-

(o) *Vid. Thomae Bartolini Anatom.* p. 336. (π)
 p. 15. (ρ) in not. ad *Cartes. Tract. de He-*
Hom. §. 63. p. 100. (τ) c. l. (υ) dissert. de I-
vid. Vander Linden Medicin. Physiol. p.
Dn. D. Döbelij Sciagraph. Corporis Ha-
stium & natum nomine venire docet
c. l. p. 404. b. (ψ) part. 1. de Pass. art. 31.

advertisse Lu-
 uidine falsita-
 babilem eam
 it (x) in uni-
 , de eo am-
 machus cum
 mentis certa-
 esiano (λ), in
 transtulerunt;
 Cartesius, for-
 ur cum Gale-
 judicio, nimis
 istud sit, ha-
 membra claræ
lam pinealem,
 rancofurt. ad
 actionum esse
 ocedat, nolo
 curatus enu-
 membris pa-
 hil restat pro
 oximè rema-
 ejus propu-
 . Ceterum
 epi, sit pro
 iqvam

ffionib. art. 31.
) in Tract. de
 79. p. 37. (φ)
 bellentiss. nostri
 l. §. 3. ubi te-
 Cerebri. (x)
 Linden c. l. p.

405.

C




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 100